

GENEROSÆ DOMINÆ  
ELISABETHÆ  
CATHARINÆ

von der **Osten**/

DN. HENRICI

von der **Osten**/

Duc. Pomer. Wolgast. Consiliarii

Provincial. Capitanei in Verchen/ Hæreditarii  
in Penkubn/ Plüggentn/  
& Batevitz/ 2c.

RELICTÆ VIDUÆ

FUNUS

pridie Kal. Septembr.  
solenni ritu  
terræ mandabitur.

ANDREAS GOTHOFR. AMMONIUS,

SS. Theol. Licent. Prof. Publ. Rector,

STUDIOSAM REGII CAROLINI GYMNASII

JUVENTUTEM

ad exeqvias  
hoc Programmate  
invitat.

---

STETINI, typis JOH. VALENT. RHETII,  
REGII Typographi & Bibliopolæ.

Hist. Germ.

Biogr.

201, 58

Virg. M. 59. (28)

651



**A**nus labitur seculi à nato Christo septimi decimi septuagesimus, quanquam aliis, & forte accuratius supputantibus, eum jam prætergressi numerum videmur. Meminimus complures patrum memoria hunc annum, ut fatalem, & vel exitio hujus universi, vel magnis tumultibus formidandum horrere. Nunc quidem sive securitate hominum, sive, quod hujusmodi vatum prædictionibus parum fidei habendum eventus sæpe comprobavit, metus est nullus, vel minor saltem, quam cum pueris nobis Patres ipsi tæpidi trementesq; diem, quem non viverent, acceptum à majoribus inculcarent. Exigimus hodie anni bessem, restat triens: Et plerisq; locis si non comoda, tolerabilis est tamen, ut ferunt res humanæ, conditio temporum. Polonia MICHAELI CORYBUTO, Regi suo Conjugem hoc anno adscivit Tereciam Austriacam. In Dania FRIDERICO III. Regi defuncto CHRISTIANUS VI. filius succedit, propediem Havniæ coronandus. In Italia CLEMENTI IX. senex octogenarius tandem surrogatus est ALTIERIUS, nunc CLEMENS X. Papa. Cæteræ ditiones Europæ statu sunt eodem fere, quo superioribus annis fuerunt. Sed istorum, quæ diximus, auctoritatem vaticiniorum vel à DEO, vel ab arte, vel à conjectura, vel à temeritate deniq; oportuit proficisci. Non defuere vel quovis seculo, qui temere asseverarent talia, quæ ipsi non habebant explorata, alii tristissima quæq; denunciantes, famem, pestem, bella, quæq; cum his eveniunt, pessima: alii spem aurei seculi ostendentes. Finem vero ipsum mundi præter cæteros definire ausus est Cabalæ ductu JOHANNES PICUS, Comes Mirandulæ & Concordiæ in CM istis thesibus, quas Romæ, anno decimi quinti seculi octogesimo sexto, disputandas proposuerat; eo videlicet anno futurum, qui foret à nato Christo bis millesimus. Qui annis abhinc fere CXL. numerorum arte fretus certum diem præfinierat, Ocrea, sapientibus statim, die præterito stultis etiam risui fuit, & ab eo tempore fabula omnibus. Nec tamen destitit famâ toties mulctata curiositas. Annum enim alii proxime superioris seculi octogesimum octavum; alii decimum tertium, alii quinquagesimum septimum hujus seculi ultimū fore prædixerunt: Hi, quo responderet numerus annorum à Christo nato annis à Mundi conditu ad Diluvium exactis: Illi notatis literis vocabuli, vulgo numerum exprimentibus, canentes: JUDICIUM numerum ruituri continet orbis. Sed isti eventu ipso confutati alios effecisse cautiore videntur, increpationisq; Servatoris nostri minus aliquan-

aliquanto negligentibus. Artem, quæ motum certasque siderum leges tradit, habemus in pretio, ut homines eruditos decet. Divinatio vero ista, quæ ex astris multa denunciât, nihil certi explicat, superstitionem sæpius videtur serere, dissipare consilium, ac parum vel nihil promere, quod ad pietatem, virtutem, publicam privatamve utilitatem pertineat. Conjectura porro, quæ cum prudentia conjuncta sit, momenti hoc loco nihil habuerit. Etsi enim præcepta prudentiæ in universum exposita in promptu sint, exitum tamen ea certum rei, quæ suis locis, temporibus, personis cernitur, non definiunt. Quamobrem sapientum virorum, qui domi forisque res gesserunt amplissimas, talia, quæ toti orbi certo tempore essent eventura, humana prudentia prædixisse neminem accepimus. Imitati potius Epimenidem non futurorum, sed præteritorum vatem, res gestas eruere studuerunt è monumentis veterum, quo semper quasi ante oculos & in conspectu haberent consiliorum, factorum eventorumque exempla, sequerenturque, siquid per se minus providerent extemplo, accommodatis sapienter ad rem præsentem iis, quæ ex divinationibus fuerant profecta: Velut isthic Themistocles cum classe valeret civis, oraculum de muris ligneis, non de sepimentis, sed navibus interpretabatur. Superstitionem scilicet illi relinquebant pluribus, qui eam sibi ex animo evelli nec volunt, nec si velent, vera officii præcepta admitterent: Ipsi ratione, legibus, arte gerebant, quæ sui muneris esse didicerant. Neque enim fas est, dum futurorum malorum denunciatione populo metus incutitur, in dubium simul vocari rectorum consiliorum certitudinem, aut quenquam ab officio publice privatimve discedere, vel oscitanter etiam id facere. Quin potius, si non possit humana industria caveri malum, quod prædicatur, parandum erat robur animi, quo muniti subiremus pericula, ac toleraremus omnia, ut si vel fractus illabatur orbis, impavidos feriant ruinæ. Tenemus igitur hoc quidem, qui Christi nomen profitemur, nihil dubitantes de instante fine seculi, sed ejus certam diem definire, eodem magistro prohibemur. Id agamus interim singuli, ut mors, quæ certo omnibus imminet, incerta licet hora sit, imparatos ne offendat: quod si fiet, non minus erit in illa terroris aut periculi, quam si totam subvertens mundi machinam Deus, una lucis hujus usuram cupidus eripiat. Sunt in manibus scripta piorum atque eruditorum hominum, qui collegerunt studiose à Sanctis viris, ipsoque DEI filio ea de re divinitus tradita. Quæ Daniel & Joannes Apostolus angeli monitu per scripta reliquerunt, involuta quamvis pleraque ex eventu potuerunt intelligi, & potissimum eo tendunt omnia, ut vestigia divinæ agnoscamus providentiæ, qua gubernatur ac defenditur, tandemque post præfinitas non longissimi temporis periodos, & superata pericula, in portum deducetur cœtus recte de DEO sentientium, quasi cymba in mediis servata fluctibus, inter horrendas imperiorum ruinas ac mutationes, impias plurimorum ac profanas opiniones & flagitia, quæ sunt barbaries ista morum & inquinatarum mentium.

tium. Duo vero ista, interitum Gog & Magog, quam gentem Turcicam, & Babylonis, quam Romam interpretantur, quando & qua ratione DEUS evenire jubeat aut iusturus sit, curiosius forte scrutari non debemus. Proximo quidem anno, cum Candia nova, Cretæ Metropolis post diuturnam obsidionem deditioe facta in Mahammedis IV. manus perveniret, ut nec in illa centum quondam oppidis nobili insula vestigium Christiani nominis relinqueretur, nimium videbatur ultus qualemcunq; istam jacturam, quam sexennio abhinc represus ad Arrhabona fluvium in Pannonia fecerat. Alia deniq; signa orbis redigendi ad incitas Servator ipse de excidio urbis sanctæ suscitantibus indicavit, observanda in Sole, luna, & stellis, in terra anxietatem gentium consilii inopia laborantium, resonante mari & salo, calamitates videlicet hujusmodi, quæ animos hominum in extremas angustias conjectos ad desperationem sint redacturæ. Vix putemus esse quenquam, qui non afficiatur animo tot ostentis, ominibusq; tristibus, quot nostro hoc seculo cælo terra mariq; visa sunt. Non dicemus de Cometis, tempestatibus, procellis terræq; motibus, quanquam hujusmodi nec pauca, nec vetera aut longinqua afferri possent. Exstant typis expressæ descriptiones incendiorum, quibus montes ignivomi, *Ætna* inprimis Siciliæ & *Vesuvius* Campaniæ superioribus annis longe lateq; sævierunt. Hic quidem, cum à nato Christo ad Annum MD. duodecies arsisset, (primum enim incendium A. C. XXCI. accidit, quod propius inspecturum avunculum suum inter igneos afflatus intercepto spiritu interiisse scribit *Plinius junior*) annis abhinc quadraginta maximo toti Campaniæ terrori fuit. Terræ enim motus, pluvia cinerum, post lapidum quoq; igneus torrens, & aquarū deniq; inundatio incredibilem ibi stragem ediderunt. Alterius autem à bello Trojano usq; ad annum superioris seculi xxxvii. viginti sævisima incendia celebrantur; quorū simile proximo quoq; abhinc anno accidisse perhibebant. Nisi toties vim suam & istis locis & alibi DEUS ostenderet, multi fortasse, quod optarent, crederent, fieri non posse, ut eveniat, quod SS. literæ de conflagratione totius mundi ineulcant: Quæ de re divina quoq; revelatione destituti rectius senserunt, ut vel ex disputatione *Balbi Stoici* apud *Ciceronem* l. 2. *de nat. Deor.* intelligitur; quanquam & hujus sectæ magistri aberrabant in eo, quod naturæ viribus eventurum putabant, ut *ad extremum omnis mundus ignesceret, cum humore consumto neq; remearet aër, cujus ortus aqua omni exhausta esse non posset.* Qui *Epicturum* sectabatur alias, *Horatius*, *parcus* antea *Deorum*, ut ipse fatetur, *cultor & infrequens*, igni corusco, actisq; per purū tonantibus equis, volucrisq; curru se cogi scribit, ut DEUM ejusq; vires agnoscat. *Valet ima summis, inquit, mutare, & insignem attenuat Deus.* Minorem esse hodie metum divini Numinis compluriū, qui Christum profitentur, nec inficiari possumus, atq; ut mature DEUM omnes timere discant, serio precamur. Præteriere duo menses, ex quo frequens in vicina urbe concio cultui

tui

tui divino intenta terrebatur subito tactis de cœlo corpori-  
 bus aliquot hominū, sacro etiam cultui destinatis vasīs, ipsoq;  
 pane & vino, tremendo Myſterio mox adhibendis, in terram  
 fulmine projectis. Viſa eſt fama inauditæ rei conſternatio-  
 nem parere in animis audientium, ſed eam, niſi fallimur, hu-  
 juſmodi, quæ derepente apud plurimos evaneſceret. Fieri  
 enim aliter non poterat, niſi præparatæ mentes eſſe rectius,  
 verisq; de DEO ſententiis probe ab incunabulis munitæ.  
 Gens iſta, quicum Servatori res erat, ſigna de cœlo require-  
 bāt, nec fidem tamen adhibens tot illuſtribus miraculis, qui-  
 bus ultro ipſe divinas vires ſuas comprobabat. Nimirum, ſi  
 firmiore non moventur, quem habent ſermonem Propheti-  
 cum, nec proderit, quicquid demum videant, quicquid audi-  
 ant: Si Moſen & Prophetas non audiunt, neq; credent, eti-  
 am ſi vel è mortuis aliquis reſurgat. Vetus eſt, ſed propin-  
 quum & illuſtre monumentum, quod oculis ex portu ſolven-  
 tium in oſtio Panis objicitur. Winetæ, urbis quondam am-  
 pliſſimæ notum vulgo nomen eſt, & viſuntur ſub aquis rude-  
 ra; quorum formam annis abhinc xxv. expreſſit JOANN.  
 LUBBECHIUS Treptoæ ad Regam Conſul, oculatus teſtis, cu-  
 jus ea de re epiſtolam Vandaliaæ ſuæ addidit D. CHYTRÆUS.  
 Sed cum hæc vetera ſint; quanquam idem etiamnum DEUS  
 eſt, cujus iſtæ aquæ nutui paruerunt; terræ iſe motibus  
 in Rhætia & Norico tremendum exhibet hodie, quibus lo-  
 cis nullum huiusmodi antea metuebatur periculum. Vi-  
 delicet, quo ſupinos plurimorum errores arguat, graviq; ve-  
 terno conſopitos expergeficiat, brutam ipſe tellurem con-  
 cutit, jubetq; ignem, aquam, ventos, quæq; ipſe condidit  
 cætera, dira ſecuris omnia minitari. Quorum autem frugi  
 eſt vita, fidesq; DEO perſpecta, hiſ de tuta requie divina  
 bonitas proſpicit, dum cæteros undiq; tot omina triſtia, qua-  
 ſi Mormo petulantes pueros, territant. Eſt, quod hoc loco  
 gratulentur potius omnes boni, quam doleant vicem Gene-  
 roſæ quondam Dōminæ ELISABETHÆ CATHARINÆ  
 von der Oſten / Generoſi Nobiliſſimiq; Domini HENRICI  
 von der Oſten / Duc. Pomeran. Wolgaſt. quondam Con-  
 ſiliarii Provincialis & Capitanei in Verchen / Hæreditarii in  
 Penkubn / Plüggentin / & Batevitz / relictæ Viduæ, veram  
 in cœlis requiem naſtæ. Virtutes egregiæ foeminæ toto hoc  
 Ducatu finitimisq; ditionibus celebrantur; quibus illa ge-  
 neroſæ utriusq; Parentis ſtirpi hæc tabula deſcriptæ non  
 minus ornamenti, quam hæc eidem attulit. \* Evolverit  
 quis annales Pomeranicos ſuperioribus annis à diverſis au-  
 toribus conditos, quibus paſſim veterum OSTENIORUM &  
 RAMMINIOKUM, domi ac foris toga ſagoq; clarorum inſerta  
 nomina legere eſt. Sed illa majorum laus communis ei que-  
 at eſſe cum multis, qui parum ipſi ſplendoris veræq; glo-  
 riæ propriis ſibi virtutibus compararint. Huic autem uti  
 neq; falſam noſtra oratione laudem affinxerimus, ita ſi nec  
 veram ei detraxerimus, à nemine, opinor, jure vituper-  
 abimur. Cuius igitur totius vitæ ſexaginta annorum fuit,  
 nec

nec longissimi ille quidem spatii, satis tamen, ut hæc fuerunt tempora, ad bene operandum diuturni; præsertim, si ad vetustatem virtutis ac divitiarum, quæ nobilitas uno vocabulo dicitur, liberalis ac diligens accedat educatio, exercitiumq; honestissimarum actionum. Secus enim vix quicquam intersit, suorum quis majorum, an Achillis aut Hectoris res gestas crepet, nisi laudabilia illorum vestigia quanto propiora sunt, tanto studiosius sibi legenda putet; quin dedecorent potius, Poëta iudice, bene nata culpæ, utcunq; defecere mores. Cum igitur anno hujus seculi <sup>1712</sup> decimo vitæ illa domi nata esset, in ALEXANDRI OSTENII prædio Wittmitz, in orientali Pomerania sito, Patre CHRISTOPHO ALEXANDRI illius filio, in Schildburg/ Rertow & Wartien hæreditario, Matre HEDWIGE RAMMINIANA, filia CHRISTOPHORI, Consilarii Duc. Pomeran. intimi, Aulae Mareschalli, Arcis Wolgast. & Loicensis Præfecti; sacroq; initiata lavacro ab incunabulis formaretur accuratius, sensim accedentibus annis, pietati suoq; sexu dignis virtutibus aliis facile est advefacta. Parentibus enim satisfaciebat honestis obsequiis, quibus non pœnitenda DEI bonitate præmia certo sunt destinata. Sociam studiorum, quibus sexus muliebris ineunte ætate ad humanitatem ducitur, habebat sororem dilectissimam matri cognominem, HEDWIGA, nuptam postea Generoso ac perquam Strenuo Domino **Heinrich** de **Burgsdorff**/ Ser.<sup>mi</sup> Elect. Brandenb. Supremo Stabuli Præfecto, Gubernatoriq; castri Cüstrinensis. Salutaribus igitur præceptis, exemplisq; domesticis ad omne genus virtutum suis natalibus, sexuiq; propriarum formata benevolentiam admirationemq; bonorum omnium sibi facile conciliavit. Maturam sibi è cæteris virginem anno seculi xxxiii. legit vitæ sociam Generosus Dominus HENRICUS **von der Osten**/ Hæreditarius in **Penkubn/ Plüggentin/ & Batevitz**/ Duc. Pomeran. Wolgast. Consil. Provinc. & Præfecturæ **Verchen** Capitan. quem diximus; cujus viri prudentiam, virutem ac merita grata semper agnoscet Patria, colerq; notn intermorituram mortui memoriam. Afflicta erat moribus bellicis Pomerania, nec satis tuto vivebatur in agris. Habitis eam ob rem hic Stetini nuptiis, maritum in Præfecturam ei demandatam secuta est. Qua fide erga eum fuerit, ejus rei testes sunt, quotquot hos conjuges noverant. Amore enim & humanitate singulari occupationes mariti, quibus patriæ saluti distinebatur, svavissima conjux leniebat. Prædiorum ac rei familiaris administrationem, curamq; educationis liberorum totam ipsa in se susceperat; cumq; mariti prædia primo Cæsareani exercitus impetu prostrata jacerent ac diruta, fide illa & industria pene incomparabili non magno temporis spatio eadem reparari curavit. Annis porro abhinc xiii. irruptione à Polonis facta Pencunum oppidum cum arce incendio fuerat deletum. Hæc vero eadem cum agris & pagis eò pertinentibus industria Matrisfamilias hujus ac vigilantia pristinum jam statum propemodum

dum recuperarunt. Agnoscunt grato animo liberi superstites curam Matris, operamq; indefessam. Quum enim decem facta esset liberorum mater, sex filiorum tres, qui hodie supersunt, matrem desideratissimam seriò lugent, præter quatuor illas filias, honestissimis matrimoniis ornatas; debitumq; pietatis officium beatæ hodie præstant, quod ipsa annis abhinc undecim beato Marito in magna celebritate hominum & in oculis quasi universæ Pomeraniæ Stralesundii exhibuerat, cum terrore hostium totius fere Ducatus Ordines in istam urbem perfugissent. Ab obitu Conjugis cum sola familiæ totius onus sustineret, nec satis firma valetudine uteretur, tamen perrexit liberorum commodo suscipiendis itineribus, inspiciendis prædiis, ordinandis rebus omnibus fungi Matris officio: Cui adeo non defuit, ut ne valetudinis quidem imbecillitate se revocari pateretur. Quadriennium jam est ipsum, cum morbo gravi ac diuturno tantum non opprimeretur: tantum tamen apud divinam bonitatem piæ liberorum preces ac vota passim gentium pro ejus salute facta pondus habuerunt, ut eidem pristina sanitate recuperatâ aliquanto amplius præsto suis esse liceret; quibus ut inserviret, nulli unquam operæ pepercit. Vel hoc argumento esse potest, quod proximo ante beatum obitum mense iter suscepit ad filiam nata minimam, Generosi Domini Generalis Majoris de **Psublen** Conjugem, ut eidem parturienti adesset; quam illa quidem fida mater egregiè jovit, ipsa vero in gravem morbum incidit, quo cum paulum esset levata, Pencunum, domum suam rediit. Reperit ibi literas, quibus lectis consilium cepit de itinere Wolgastum faciendo, ubi cum Tutore liberorum suorum gravibus de causis coram sibi agendum arbitrabatur. Ingressa iter divertit ipsis Idibus Martiis in pago Buggevitze: ubi cœnata cum se Deo cubitum itura precibus totam commendasset, elapso horæ spatio catarrho in præcordia destillante affligi visa est. Ministra vocata exhibuit medicamenta, quæ erant semper in promptu; quibus haustis cum reclinare denuo cupienti angores viderentur augeri, jusfit Anclamo, ad quartum inde lapidem distante oppido, Medicum accersiri. Cum vero deliquis tentata pluribus divinitus se ex hac vita vocari animadverteret, obsecutura libentissime, precibus animam Deo commendavit, serio ingeminans istud: Domine Jesu, tibi vivo, tibi morior: nota sunt cætera. Sic precata ipsa inter suspiria ac preces adstantium pie beata, exspiravit. Anima curis omnibus libera inter cœlites læta versatur; quibuscum corpore divinitus reddito ipsa gaudiis fruatur sempiternis. Etenim perpetuo virtutis studio exactum vitæ cursum nulla vel tristitia vel misera consequuntur. Quemadmodum vero illa se non sibi tantum, sed Conjugi, Parentibus, propinquis, familiæ, liberis, omnibusq; suæ opis egenis natam arbitrata benefacere semper studuit omnibus, quantum posset, nocere nemini: sic humanitate, candore, modestia, cæterisq; virtutibus humano generi juvando  
aptis

aptis perennem sibi summorum, imorum, mediolorum benevolentiam admirationemq; conciliavit, fideli virtutum suarum memoria, tristici; sui desiderio in animis relicto. Metum divini Numinis, fidemq; in ejus bonitate collocatam multis in dies indicis declaravit. Pias enim preces non ipsa solum frequentavit, gratias Deo agens rebus prosperis, adversis ejus opem implorans certa fiducia. Hæc usq;, inqviens, Deus nos juvit; idem juvabit porro! (hæc enim crebro ei in ore verba fuisse observatum est: ) Sed & familiam ad idem pietatis exercitium suo exemplo advesfecit, eum, qva stas horis preces ipsa suas quotidie conjunxit, cultu eundem Deum opt. Max. sancte venerata, qvo ipse voluit, augusto sanctissimi corporis ac sanguinis JESU CHRISTI mysterio refecta sapius, attente audiens divini verbi præcepta ac solatia, cujus Ministros honoravit, ornavitq;, quibus modis potuit.

Parant Generosi Liberi, ac Domus Nobilissima, beate mortuæ exsequias, habendas hodie, ritu virtute ac natalibus illius digno; quibus Studiosa REGII CAROLINI GYMNASII Juventus Profesores suos dato signo sequutura publico hoc Programmate decore jubetur interesse.

P. P.  
STETINI  
prid. Kalend. Septemb.  

---

c10 l0c LXX.

